



# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1857**

I. Der erste Hauptbrief vnd Plantarium oder fundation des Closters Himmelpforthenn etc.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54745](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54745)

## C o p i a l b u c h.

Warhafftige Vidimirte Copeien vnd Abschriftten der Fundation, Begiftigung vnd anderer  
des Closters himmelforten Originalien vnd Briefflicher Vrkundenn.

### I. Der erste Hauptbrief vnd Plantarium oder fundation des Closters Himmelforthenn etc.

In Nomine Sancte et indiuidue Trinitatis Amen. Licet omnis spiritus laudare Dominum teneatur, amplius tamen hij, qui de abundantia pietatis eius amplius acceperunt. Nos igitur Albertus, Dei gratia Marchio Brandenburgensis, recognoscimus publice per presentes, Quod de donis altissimi, nobis temporaliter concessis, ipsum, a quo bona cuncta procedunt, laudare et benedicere cupientes, cum consilio et auxilio Reuerendi patris et Domini Johannis, Abbatis Ecclesie Leninensis, ad laudem et gloriam Dei omnipotentis eiusque pie matris Marie Virginis perpetue, ad salutem quoque animarum, nostre uidelicet ac progenitorum nostrorum, Et specialiter generosi principis charissimi fratris nostri Ottonis et filiorum suorum, ac etiam filiorum nostrorum Ottonis et Johannis et heredum ac successorum nostrorum omniumque fidelium defunctorum, nouelle plantationis Ecclesiam ordinis Cisterciensis in terra nostra Lychen fundauimus, quam appellauimus Celiportam, quamque bonis nostris dotauimus infra scriptis. Inprimis donauimus eidem Ecclesie Villam Carstauel cum suis pertinentijs, Magnam Thymen et paruam Thymen cum suis pertinentijs. Insuper et omnes Mericas et siluas adiacentes et specialiter siluam, que Stolpenbruk dicitur. Item Mericam et siluam, que protenditur a metis Campi Carstauel usque Furstenbergk. Item uillam Garlin cum merica et distinctionibus suis. Item uillam Lynczere cum suis pertinentijs. Item uillam Brusenwalde cum suis pertinentijs. Item centum Manfos in terra nostra Stargardenfi, quos filio nostro charissimo Domino Henrico Magnopolensi in uillis, uidelicet Nedemin, Werben, Wlotouu, commisimus demonstrandos. Hos autem manfos cum omnibus uillis predictis dedimus prefate Ecclesie cum omnibus suis pertinentijs, metis et distinctionibus, agris cultis et incultis, pratis, pascuis, nemoribus, siluis et lignis, rubis, aquis et riuis et generaliter cum omnibus prouentibus eorundem, cum omni etiam iure, proprietate, iurisdictione, dominio et utilitatibus quibuslibet in omnibus et per omnia, quemadmodum eas hucusque possedimus, eidem Ecclesie Celiporte donauimus iusto proprietatis ac libertatis titulo in perpetuum possidendas. Volentes etiam, ut dicte uille nunquam ullis temporibus precaria, exactione, seruitio curruum aut quacunque molestia ab aliquo successorum nostrorum aut eorum officialibus pregrauentur. Item dedimus dicte Ecclesie aquas et stagna infra scripta. Inprimis stagnum Platekouu, Santis, Vlaxe Zuzen, Tiepe Zuzen, Lest. Item stagnum Tiepe Worll, Vlaxe Worll. Item stagnum grote Lychen, Lutke Lychen, grote Melne, lutke Melne, Wublitz, Pyan, Blokenthien, Westwitz, Sidouu. Item stagnum Stolp, Mörseken, Sicheluuist, Zwett, Balam, Röbelin. Item stagnum Thymen apud uillam Garlin, Klyfteuuist. Item stagnum grote Zwagerou. Item stagnum inter Thymen et Zwagerow. Item stagnum Dobelouu.

Item stagnum Brenghentin. Item grote Kelle, lutke Kelle. Item grote Karstauell, lutke Karstauel, Crummese, Lynyczere. Item stagnum grote Crun, lutke Crun, Stipense, Rekenitz. Item stagnum situatum in Campo Lybbewe, et generaliter omnia stagna magna et parua, riuos et omnes aquas ad terram Lychen pertinentes, cum piscationibus et utilitatibus, cum metis et fundis et prouentibus singulorum in perpetuum, cum omni iure et proprietate, iurisdictione, dominio et libertate, sine molesta cuiuslibet libere possidenda, prohibentes, ne quis in predictis aquis piscari debeat, Crates aut sepes uel gurgustia edificare sine uoluntate fratrum nominate Ecclesie et assensu, exopto, quod incole ciuitatis Lychen habeant facultatem piscandi in aquis prope ciuitatem cum minutis retibus, que dicuntur Stoke Wathe, et cum rufis siue gurgustijs, ita tamen, quod Ecclesie Celiporte incole dicte ciuitatis Lychen condignum censum siue reditum dabunt, sicuti habentibus aquas dederunt ab antiquo. Insuper pretaxate Ecclesie donauimus Molendina infra scripta, inprimis proprietatem Molendini cum quatuor rotis ante ciuitatem nostram Nygen Brandenburg siti. Item proprietatem Molendini Nedemin. Item molendina apud uillam Brufenualde. Item dimidium molendinum. Stolp. Item molendinum apud paruam Thymen. Item molendinum in ciuitate Lychen et molendinum ante ciuitatem eandem, precipientes et uolentes, Vt omnes incole eiusdem ciuitatis ad dicta duo molendina, sita in ciuitate et ante ciuitatem, molere debeant, nec ad alia molendina unquam annonam suam educere uel educi facere molendi gratia audeant uel presumant. Item dedimus dicte Ecclesie molendinum apud Villam Kultrin, et generaliter omnia molendina supra predictis aquis omnibus et stagnis constructa, nunc et futuris temporibus construenda, cum omni iure, proprietate, iurisdictione, dominio et utilitatibus quibuslibet, cum locis, areis, fundis, metis et distinctionibus, libertate etiam plenaria, perpetuo possidenda. Prohibentes etiam, ne quis aquas dictas et stagna de statu suo consueto fodendo deducat sine Abbatis et conuentus dicte Ecclesie, licentia speciali. Item donauimus eidem Ecclesie in molendino Furstenbergk Triginta solidos census nouorum Brandenburgensium denariorum. Item uiginti solidos eorundem nouorum denariorum Brandenburgensium dedimus dicte Ecclesie in Ciuitate Lychen, quos aduocato nostro Henrico Crouuel commisimus demonstrandos. Tres solidos super area argillofa, sita iuxta stagnum, quod dicitur Diepe Worll. Item duos solidos super insula, sita apud stagnum Lesth. Item quindecim solidos in censu quinque Mansorum eiusdem ciuitatis singulis annis percipiendos. Hec predicta bona uniuersa, uidelicet villas, censum, aquas, stagna, molendina, donauimus Dicte Ecclesie et fratribus ibidem Deo seruientibus in perpetuum libera et exempta, nihil iuris in eis nobis uel nostris successoribus reseruantes. Vt igitur hec gratia seu donatio facta eidem Ecclesie a nobis et nostris successoribus inuiolabiliter obseruetur, presentes conscribi et Sigilli nostri appensione fecimus communiri. Testes quoque huius sunt: Venerabilis pater Dominus Johannes, Hauerbergensis Ecclesie Episcopus, Theodoricus, plebanus in Lychen, Arnoldus, plebanus in Euerfualde, Bruno, plebanus in Berlin, Magister de Dymyn et Baldeuinus, plebanus in noua Bernau, Capellani nostri; Wilhelmus Soneke, Busfo de Dolla, Johannes Sparro et Henricus de Pule, milites nostri, et Henricus Krouuel, aduocatus noster in Lychen, et quamplures alii fidedigni. Datum Euerfualde, Anno Domini M<sup>o</sup>. CCXCIX<sup>o</sup>., in die Beate Catharine, Virginis et Martiris gloriose.

Auscultata et Collationata est hec presens Copia per me Erasmus Seydell Misnensis Diocesis Clericum conjugatum Sacris Pontificia et Imperiali autoritatibus Notarium Publicum. — Concordat cum suo uero originali de Verbo ad Verbum, quod attestor hac mea manu propria. —